

tineat. Quod quum fit, perspicitur, nullam posse earum formarum, quas recensuimus, ad hanc rem transferri. Sed si ipse is rem retinere nolit, potest illam aut alibi seponere, aut tertio cuidam committere. Si alio loco seponit, qui tutus ipsi videtur, nec de ea re cum alio quodam conuenit, nullum quoque conuentionum genus hic intercedit. Sed si tertio committit, quum hoc conuentione perficiendum fit, possunt omnia illa conuentionum genera, quae supra diximus, etiam ad hanc speciem adplicari. Denique sequestratio necessaria, quae est iuris ciuilibus, et fit iudicis auctoritate, potest aut ab ipso iudice suscipi, veluti si is rem iubeat apud officium deponi^{c)}, aut decerni tantum ab eo. Prius quum fit, quum omnia iussu iudicis procedant, nemo non videt, nulla conuentione opus esse, adeoque nec vlli hic esse earum formarum locum, quae proficiscuntur a diuerso conuentionum genere, quibus alias sequestratio perfici potest. Quod quidem sequestri genus solent doctores *iudiciale* vocare, licet interdum sub nomine hoc, latius extenso, omne id comprehendant, quod *necessarium* in iure ciuili vocatur. Sed si iudex ipse sequestrationem non suscipit, licet eam fieri decernat, aut id agit, vt ipse sequestrem constituat, et cum eo de sequestratione conueniat, aut partibus iniungit sequestris electionem, iisdemque conuentionem cum eo ineundam relinquit^{d)}.

vtra-

c) Vid. c. *si quis fideiussor.* 7. §. vlt. D.
Qui satisdare cog.

d) Vid. c. *postquam heres* 5. §. *Imperator*
1. inf. D. vt legator. seu fideicom. seru.
caussa cau. Add. ANTON. SCHVL-
TINGII *Theses controuersae iuxta se-*

riem Dig. Decad. 58. thes. 8. Huius-
modi pactum sequestrationis ad ius-
sum iudicis ab ipsis partibus initum
plene consignatum legitur in GEORG.
BEYERI *Volckmanno emendato Part.*
3. Tit. 3. c. 3. in fine pag. 1001. sq.
edit. Lips. de a 1744.